



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

In gubernatione Prouinciæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ex horum interpretatione capiens, efficiebat conatu, vt omnia pariter quam cumulatissime exqueretur.

In gubernatione Prouincie.

In regenda Prouincia nihil habebat molestius, quàm si qua in re, vel per moram literarum, vel subite deliberationis necessitate cogeretur interdum Præpositi carere sententia, & sequi suam: quanquam ne tum quidem suam ferè sequebatur. Decretos sibi à consiliis, grauioresq; Patrum alios sedulò consulens, viam inueniebat exercendæ vbiq; obedientiæ; vt in his quoque, quæ mādaret, administer magis, quam autor esset, nec prius iubentis, quàm parentis obiret partes. Idcirco etiam optabat, & postulabat assiduè Visitatores mitti, & missos excipiebat, vt Angelos Dei: nè vt ageret nihil, quod non oculi Præsidium vel præirent, atq; dirigerent; vel sequerentur, atque corrigerent. Fuit in Prouincialatu aliquis Patrum cooptandus in partem laboris ad scribendas literas: noluit suæ lectionis id esse: sed integram rem ad consiliarios reiecit. Quod & ad fugam exercēdi Imperij pertinet: & nequid in legendo indulgeret priuato studio, si quod erat, vel potius, cum perinde aduersus omnes animatus esset, ne ancipiti

pati deliberatione fatigaretur. Inter Augustanas conciones dubitabat an esset lustranda Prouincia, ab Roma petebat responsa collectis in vtrâq; partem non ab se, sed à socio suo, missisq; rationibus. Præuidebat quæ Dynastas ex se pro temporum varietate petituros verosimile erat, præoccupabatq; sciscitari Præpositi Generalis sententiam.

Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, plenæ sunt eius Epistolæ his vocibus. Faciam quicquid Deus per meos superiores constituerit. In obedientiæ sanctæ decreto libenter acquiescā. Obedientia mihi ex quocunq; loco, vbi me collocet, faciet Paradisum. Hoc esse officij mei proprium fateor, vt quæ statuunt, & mandant mei superiores, exequar. Vt nihil discedam à præscripto sanctæ obedientiæ. Non recuso laborē quem obedientiæ sanctæ deberi scio. Non eligam in Domo Domini esse aliud, quam iumētum apud te (Lainium Vicarium alloquitur) omnibus diebus vitæ meæ. Fiat Domini voluntas, & obedientia sancta per nos impleatur in omnib⁹. Dabit Deus his quoq; finem, & ego, vt spero, moriar filius obedientiæ in Christo Iesu Domino nostro. Valeant studia, si ab his auocat obediētia, cui me

Formula pulcherrima quibus obedientiæ suam significat.